Lipski Joannes
archiep. Gnesnen.

Stawienski Stanislai Auspicatus ingres-
sus ad almam metropolitanam et pri-
matialem Gnesnen. Eccl. D. Joannis Lip-
ski.

AVSPICATVS INGRESSVS
Ad Almam Metropolitanam & Primatialem Gnesnensem Ecclesiam

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. IOANNI
á LIPIE
LIPSKI

Dei & Apostolicæ sedis gratia, Archiepiscopo GNESNENSI L. N. Regni Poloniæ Primati, primoq; Principi.

PER


ILLVSTREM, & ADMODVM REVERENDVM DOMINVM

STANISLAVM SLAWIENSKI, Cancellarium, Gnesn. Posnanien: Lancicien: Canonicum, S. R. M. Secretarium, nomine Venerabilis Capituli eiusdem Ecclesiæ congratulatus.

Die 22. Mensis Augusti, Anno Domini M. DC. XXXIX.

POSNANIÆ,

INSIGNE
VENERABILIS CAPITVLI ALMÆ ECCLESIÆ METROPOLITANÆ GNESNENSIS.



Lilia Nauarræ nostin' quibus arma, nec enses,
Nec Getici possunt tela nocere DEI.
Hæc sunt? quid loquor? his hæc nobiliora. Profanos
Héroas decorant illa, sed ista sacros.

PERILLVSTRIBVS & ADMODVM REVERENDIS DOMINIS.

DD. PRÆLATIS & CANONICIS

TOTIQ; VENERABILI CAPITVLO ALMÆ ECCLESIÆ METROPOLITANÆ GNESNENSIS.

&c. &c.

Dominis ac Patronis Colendissimis.

NON diu, nec dubia consilii lance deliberandum mihi fuit Perillustres & Admodum RR. Domini, cuius tutelæ aut gratiæ eruditam hanc Panegyrim Perillustris & Admodum Reuerendi Domini STANISLAI SLAWIENSKI dedicarem: Vobis debebatur. Argumentum illius considero? ILLVSTRISSIMI ARCHIEPISCOPI, in felici Gnesnam ingressu, encomiasticus applausus est: & vos in ipsa illa Ciuitate, in qua hæc gesta sunt, eiusdem encomij & lætitiæ participes. Nomine illustrissimi Consessus vestri gratulatio peracta est, iure igitur quod illam, illustri nomine vestro imprimamus, & solitæ beneuolentiæ ac fauoris auræ committamus. Quid quod multorum videamus illius desiderium? gra-

tumq; futurū existimemus, si typis mandetur ac euulgetur. Iamsi splendorem aut ornamentum Authori ab illustris tituli inscriptione quærimus, non possumus hoc loco magis splendidum, quàm Venerabilis Capituli reperire. In Vobis enim Perillustres & Admodum Reuerendi Domini nihil est quod desideretur, quibus & Genus præclarissimum, & eminens in Ecclesia dignitas, & Sapientia erudita, & prudentiæ laudata maturitas, accumulant ornamenta. Quod superest igitur. Perillustres DD. VV. demissè reuerenterq; oro, ut natū hoc in doctissimo & clarissimo Capitulo Gnesnensi munus, à me verò benè merendi ergò humiliter oblatū, beneuolo aspiciant oculo. & me, cuius olim teneram ætatem Illustris Capituli prædecessores fouerant, in gratiam si non in animum parte aliqua admittant. Posnaniæ XIV. Kalend. Octobr. Anno reparatæ salutis M DC. XXX IX.

Perillustribus & A. RR. DD.

Vestris

deditissimus

ALBERTVS REGVLVS
Typ: Posnan.

PRIMVS ILLVSTRISSIME Princeps, & Eminentissime Primas, è Culmensi Episcopa, ad Primatialis dignitatis culmen eueheris: primus ab inferiori Suffraganea, ad Metropolitanæ huius & Principis Sponsæ complexum venis: primus è primo, in supremū Senatorij Ordinis euadis locum. Fortuna nimirum, præter morem suum, virtuti Tuæ ancillata, illam non ostiatim per minores honorum gradus deduxit, sed statim in summo fastigio, tanquam in Ecclesiæ, & Reipub: specula collocauit. Gratulamur itaq; Tibi ex animo, quòd omnipotentis Dei nutu, de quo minima crescunt, & summa prolabuntur, amplissimisq; Tuis in Ecclesiam, Patriam, ac Sac: Reg: Maiestatē meritis, hanc gloriosissimā & Primatialem Sedem conscendas. Quæ an plus Tibi sublimitate suâ dignitatis attulerit, quàm Tu ei ob egregias virtutes addideris? nō facilè diiudicari potest; & Tunè magis tanto Antistitio, an illius Tibi amplitudo deberetur? valdè est ambiguum. Magnus enim eras, antequam fieres, & postquam factus es, sublimior tantum titulus & augustior tiara accessit. Ac veluti Romano quondam Imperio Numam Pompilium, ita & Tibi tantam Sedem, & Te tantæ Sedi, diuinitùs obtigisse, manifestè apparet.

Vnde non mediocriter gaudet Metropolitana nostra, quod Te, quem olim ortu, disciplinâ, beneficio Filium habuit; iam dignitate Patrem, tutelâ Patronum, vinculo Sponsum, authoritate Dominũ, officio Pastorẽ & Præsulẽ habeat; & sibi è Tuis honoribus, quibus ceu illustre quoddam sydus emicas, plurimum accessisse splendoris, summoperè gratulatur. Quidni enim felicitate conditionis quâ Tibi desponsa est glorietur? Quidni postquam decora sua Tuis ornamentis cumulauit, bona quoque Tua, vti iam sua recognoscat? Quæ tanta ac talia sunt, vt prorsus ad Te exornandum, Natura, Virtus, & Fortuna, veluti tres Charites contẽdisse, talemq; virum in sua officina procudisse videantur, vt quicquid honoris, & ornamentorum, quod in Te caderet, domi fuit, amplissimis consecutus meritis, de ipsa triumphares frustra inuidente inuidia. Vnde igitur ordiar? an à Patriæ generisque Tui splendore? Is enim etiam aliquid, secundum Simonidem, ad hominis felicitatem confert, si quis Patriâ suâ dignum se præstat: & plerinque Patriæ gloria, ad ardua quæque aggredienda, calcar est & incitamentum. Patria Tibi est Illustrisime Princeps, ea pars Poloniæ, quæ viros omni virtutum genere conspicuos, Reipub. amantissimos, ac Catholicæ religionis propugnatores acerrimos, semper parturit. Quis enim magis Hæreticam

praui-

prauitatem insectatur, quàm Palatinatus Rauensis Indigenæ? Quis impensius Spiritalem Ordinem colit, quàm Palatinatus Rauensis Indigenæ? Quis constantius aut animosius iura & immunitates Ecclesiasticas tuetur, quàm Palatinatus Rauensis Indigenæ? Ergò Palatinatus Rauensis Indigenæ in publicis Regni Conuentibus, & legibus, contra libertates & Personas Ecclesiasticas latis, fortiter restiterunt, & latas interpositis protestationibus infirmârunt, & peregrinas religiones abominati, orthodoxæ fidei firmiter adhæserunt. Hos egregiè viciniores quoque, Plocensis, & Mazouiæ Palatinatus imitati, pari laude florere meruêrunt. Atque vtinam ipsorum exemplo, & superiores loco inuitati, tàm insigni encomio celebrari concupiscant. De generis vero & natalium Tuorum splendore quid dicam? Natus es in ea familia, quæ illustres & fumosas Maiorũ & Progenitorum Tuorum imagines, longo ordine circumducit. Quas quidem, licet non abs re quispiam verè fumos dixerit, si eas maiore sua ignominia, quàm laude, venditant discincti nepotes, & longè longius ab eorum nobilitate degeneres: neque tamen diffiteatur oportet, pietas illas virtutes, vt indignis hiscè hæredibus tacita quædam ignauiæ & vitiorum opprobria; ita forti germanæque soboli non mediocria esse ad virtutem & gloriam irritamenta. Sed

hæc externa sunt, & aliena. præstant, & pluris æstimantur, quæ in Te ipso, quàm quæ circa Te, forisque spectantur. Non enim solis maiorum laudibus censeri, & illustribus auorum monumentis vmbratilem gloriam venerari voluisti: creuisti potiùs Eminentissime Primas virtutibus Tuis, meritis Tuis, laboribus Tuis, viamque Tibi ad tantum fastigium, per ardua & difficilia, multo sudore, magnoque anhelitu, aperuisti. Nescio an natura præsagiente, an diuino consilio factum sit, vt quasi ab incunabulis ita vitam institueres, mores componeres, actiones conformares, vt dignus reddereris tanto solio, ad cuius regimen parari & ordinari videbaris. Noueras quippè talia iacienda in iuuenili ætate fundamenta, quale ædificium maturescente eadem cogitaret aliquis construere. Itaque à primis statim annis, non otium veræ nobilitati ignotum & detestabile, heroicam Tuam indolem, ad præclara quæuis, pronis conatibus enitentem, suo situ torpere fecit, non excelsum animi robur languida voluptas emolliit, non virilem adolescentis fortitudinem eiuratæ illecebræ fregerunt: sed huc omnis ingenij & industriæ neruos contendisti, vt cum Lacedæmoniis & Romanis adolescentulis, maturè Te ad Rempublicã præparares. Peracto enim celebri studiorum cursu, ex peregrinatione Italica reuersus in Patriam, veluti lucifer matuti-

nus

nus, mirificum splendorem, ac cæleste iubar secum afferens, radiis virtutis & doctrinæ effulsisti. Ac quamprimùm ad Rempublicā accesisti, in Secretariorum Regiæ Maiestatis numerum coòptatus, cum in illa ciuilis prudentiæ palæstra, & patriarum rerum gazophylacio, Cancellaria, aliquandiu summâ cum laude & cōmendatione versareris, exactissimo, Serenissimi augustissimæ memoriæ SIGISMVNDI III. Regis, (cuius in pernoscendis ingeniis acumen, in ponderandis meritis prudentiā, in remunerandis præclarè factis iustitiā, in excitandis deniq́ue ad omnē honestatem & laudem hominum studiis perpetuam solicitudinem, orbis vniuersus vsque dum admiratur) iudicio, breui eiusdem Cancellariæ Regens, ac postmodum Serenissimæ Constantiæ Reginæ Cancellarius constitutus, non solùm Patriæ mores ac ritus omnes percaluisti, non solùm Ecclesiastica iura, instituta, causasq́ue, familiaris magnis Præsulib⁹, exactè expēdisti: verùm etiā secretiora quæq; populorū, nationū, Principium, Regumq́ue negotia pertractasti, domestica omnia acta, decreta, pacta, fœdera, leges, sanctiones, coram inspexisti: non solùm Latinæ linguæ Suadam, mitioresq; Musas, ad gelidum hunc axē, è natiuo solo demigrasse illis gentib⁹, quæ se politas, & nos barbaros vocant, palam fecisti; verùm etiam Romam ipsam, Romano ore loqui, si Tuo loque-

 retur

retur, docuisti. Insuper in tam lubrico positus loco, vti in laborioso, & inuidioso officio, in quo non dicam gratiam mereri, sed odium vitare difficile est, non solùm Serenissimis Principibus, non solùm præcipuis Curialibus; sed & coæqualibus Tuis, & omnibus penitus aliis, ita charus fuisti, vt vnus omnes omnium gratias surripuisse, incredibili quadam fælicioris naturæ liberalitate, videreris. Vsus enim acri iudicio, & circumspecta prudentia, omnia sine iactantia egisti, & tam ad Principum, quàm ad Reipub. bonum famam retulisti. Maiores porrò obsequio & obseruantia, pares studio & officio, minores vero humanitate & affabilitate demereri contendisti. Regentis munere summâ cum Tui nostrique nominis gloriâ defunctus, Referendariatum Regni eiusdem illius Regis beneficio capessiuisti. In quo quidem officio nemo Tuam operam requisiuit, cui nõ promptissimam exhiberes, nemini vnquam iustum patrocinium denegasti. Nemo calamitate afflictus aut iniuria lacessitus, frustra Tuã opẽ implorauit. Familiare Tibi fuit, nõ tantũ petentibus subuenire; sed etiam non petentibus vltro suppetias ferre. Faciles semper ad Te cuiuis, etiã ex infima plebecula aditus patuerunt, nec maximis sæpiùs impeditꝰ negotiis, vnquã Te desiderantibus subtraxisti. Cõsuetudo modesta & amabilis, quã comitas cũ seueritate, hilaritas cum grauitate, humani-

tas

tas cum generositate, pari libra condiret. Neminem certè à Te tristem abire patiebaris, & diem perdidisse existimabas, quâ nihil cuiquam præstitisses. Longum quoque esset recensere, quemadmodum inuictam constantis animi magnitudinem, & infractum solidissimæ mentis robur, in rebus grauissimis & difficillimis declaraueris, ac veri Areopagitæ instar, in omnibus iudiciariis causis, à tramite iustitiæ nequaquam, vel ambitis vltro à quibusdam fauoribus, vel priuatis respectibus, abstractus deflexeris. Vt meriò illud Tibi congruat elogium, Te difficilius à recto, quàm solem à suo cursu auerti posse. Ergò, cùm Te Serenissimus VLADISLAVS IV. Rex post hominum memoriam prudentissimus, solidè doctum & eruditum, variâ & multiplici experientiâ prudentem, complurium negotiorũ administratione cautum, rerum & antiquarum & nouarum cognitione peritum, morum tàm externorum quàm domesticorum scientiâ præstantem, comperisset, abundeque probasset, in Senatorium Ordinem asciuit, & Culmensi hyperendymate insigniuit, atque quem iam bonum ante fuisse remigem nouerat, ad gubernacula admouit. In Senatoriæ & Episcopalis dignitatis apice constitutus, quæ egeris, & peregeris, si commemorem, vereor Illustrissime Princeps, ne pudicas aures Tuas lædam potius, quàm oblectem. Quam generosè immanes feras à Dominico ouili pepuleris, quàm di-

ligen-

ligenter totam Diœcœsim purlustraueris, quam zelosè eandem prauis moribus perpurgaueris, quàm studiosè pro instaurandis, Prussico bello depopulatis, Ecclesiis, omnem conatum intenderis, etiam me tacente, sera loquetur posteritas. vt meritò illud, quod Octauianus Augustus fastuosè iactare quondam consueuerat, se lateritiam Romam accepisse, & marmoream relinquere, Tibi potius è Culmensi Sede ad hanc commigranti, sit adscribendū. In Sententiis vero Tuis in Senatu ea verborum grauitate, ea orationis dignitate, ea rationum varietate, ea temperantia ac moderatione, ea prudentia ac iudicio, ea libertate ac energia vsus es, vt in nullius sensum vel mentem frequentiora Senatus consulta, quàm in Tuam sancita fuerint. Cùm etiam Serenissimus Rex, pro Reipub. huius splendore, tranquillitate, & salute, proli propagandæ, & posteritati proferendæ, operam dare cuperet, quæ Maiorum suorum innixa vestigiis, eò virtutis perueniret, quò eam peruenire dignum esset, id pro voto contingere posse arbitrabare, si eius generis vxorem acciperet, ex qua talem, qualem animo conceperat, sobolem suscipere posset. Multum enim adfert momenti, quam quisq; vxorem sibi sumat, quibusuè ea nata sit parentibus, diligenter præuidere. Tu itaque Illustrissime Princeps, vti homo sagacissimus, cùm non ignorares, nullam vn-

quam

quam Principum familiam, tot Regibus & Imperatoribus, ac Austriacam celebrem fuisse; imo verò ipsam solam, fœcundæ arboris instar, in tantum ramos suos produxisse, vt totius Europæ Regna & Principatus inumbrent, tacitâ quadam rerum consecutione, ac certo mentis præsagio prænouisti, si ex ea Serenissimus Rex Coniugem duceret, euenturum huic Regno, quod ab omnibus enixè expetebatur. Itaq; impulsor & cohortator extitisti, vt Serenissima Cæcilia Renata, Archiducissa Austriæ, Imperatoris filia, Imperatoris soror, in throni & thori Regalis Consortem posceretur. Quod vbi post multas deliberationes constitutum est, Tu potissimum lectus es, qui tanta legatione apud Serenissimum & Potentissimum Romanorum Imperatorem Ferdinandum III. perfungereris. In qua non solum rem ex voto communi, prudentiâ & dexteritate singulari, confecisti; verùm etiam, Diuinâ Tua eloquentiâ, Imperatoriam Maiestatem, alieno tantum ferè ore loqui solitam, ad inusitatum proprij oris responsum prouocasti. Et vt multa paucis comprehendam, ita magnificè, ita prudenter, ita feliciter, commissum negotium obiuisti, vt Tibi Rex Coniugem, Tibi Regnum Reginam, Tibi Ecclesia Catholica Catholicam Reginam, debere se fateantur. Licet enim omnes bonos, & religioni Catholicæ studiosos Ciues, tàm faustarum nuptiarum authores, &

res, & consuasores habuerit Respub:, Tu tamen conciliator fuisti, Tu quod vniuersi probæ mentis, ardentissimis desiderijs ambiebant, perfecisti. Meritò igitur Rex Optimus, Tua in Ecclesiam merita, & in bonum publicum amorem, postquam immortali dignus memoriâ Illustrissimus olim Ioannes Węzyk, ex hac mortalis vitæ statione decessit, Archiepiscopatu Gnesnensi, Principatu Sacrorum & Senatus, Primatu Regni, remunerauit. Ad quem Tibi non Maiorum tumentes tituli, non flagellatæ cistis diuitiæ, vel earum inanis & inuidiosa iactantia, non eblanditæ vel expetitæ Principũ commendationes, viam muniuerunt; sed eadem illa virtus, quæ Te ab ipsis incunabulis susceptum, perpetuò comitata est, & quæ nunquam publicum sine præmio aspexit, celeriùs, quàm mos Aulæ ferebat, & ante alios Competitores, in hoc celsissimo dignitatis solio, suis ipsamet manib⁹ collocauit. Adi igitur Illustrissime Princeps superis fauentibus honorem hunc amplissimum, & iam ad clauum manum porrige. Nos DEVM precamur vniuersi, vt quem Tibi Primatum detulit, velit ad gloriam suam, Ecclesiæ splendorem, religionis augmentum, Patriæ salutem, bonorum commoda, Tuorum solatium, Tuique nominis immortalitatem, & rebus prudenter gerendis memorabilem, & vitæ sanctitate insignem, & annorum multitudine esse perquam diuturnum.

num. Nam procul dubio non humanis conſilijs, ſed
diuina diſpenſatione illum capeſſis: vt non vanum pro-
fecto fuerit pientiſſimi Anteceſſoris Tui augurium,
qui quo Te die in Epiſcopum conſecrauit, tùm alijs
multis, tùm lectiſſimæ Matronæ Matri Tuæ, ſuum ſe cō-
ſecraſſe ſucceſſorem, affirmauit. Et credo ego beato
illius animo, mortalia è ſede immortalitatis deſpicienti,
non parùm hinc accedere voluptatis, quòd quem opta-
uit & promiſit, videat ſucceſſorem. Cæterum cùm
lege myſtici & ſacri connubij, Tu & ſponſa Tua, bona
veſtra pariter contuliſtis; dum illa magnificentiam Tu-
am admiratur, caue Tu quæſo fortunam eius deſpicias.
Archiepiſcopi Gneſnenſis, L. N. Regni Primatis, Pri-
miq́ue Principis titulos, & ampliſſimas, quibus digni-
tatem Tuam tuearis, poſſeſſiones in dote numerat: quæ
tamen hac Tibi lege commendat, vt ea quoq́ue in
ipſius vſum, emolumentum, decorem, præſidium, &
neceſſitatem accōmodes. Age igitur Eminētiſsime Pri-
mas, præripe poſteris Tuis hanc gloriam, ne patiare
Principi, tàm liberaliter & opulenter exdotatæ Sponſæ
Tuæ, quidpiam vnquam deeſſe; & quod aliquando
fieri neceſſe eſt, vt Te potiſſimum Archiepiſcopo fiat,
enitere. Addatur hoc decus annalibus noſtris, ſignetur
tàm magnifico titulo Archiepiſcopatus Tuus, vt olim
& legatur, & palàm circumferatur, Te eum Archiepi-

ſcopum fuiſe, qui Sponſæ Tuæ decori, omniá prorſus priuata commoda poſtpoſueris. Commendandi Tibi neceſſitates illius, illud mihi magna ex parte adimit laborem, quod, nemo ſapiens putet, oportere ſua cuiquam commendari. Quoties itaq; Illuſtriſſime Princeps Tecum ipſe cogitabis, Eccleſiam hanc Sponſam Tuam eſſe, & nos eius Filios, fraternitatis vinculo Tibi mancipatos, & in Tuo ære, Tuaque fraterna, ſeu potiùs paterna fide poſitos, toties non tàm noſtro, quàm Tuo intereſſe iudicabis, ipſam vna nobiſcum quàm florentiſsimam, & fortunatiſſimam reddere. Semiruta illius ſacella, ſqualidum D. Tutelaris ſepulchrũ, decapitata altera turris, ruinoſæ porticus, earumque perpluentia tecta, ac non mediocriter infirmati magno imbrium decurſu, crebriſque ſtillicidiis fornices, afflicti vetuſtate parietes, deſolata organa, acciſi iniquitate temporum, & in tanta rerum omnium cariſtia tenues, minoris Cleri reditus, & hinc [quod abſit] proximè imminens quorundam Officiorum diuiniſtitium, Tuam liberalitatem munificentiamque implorant. Hæc Tibi à ſuperis reſeruata palma, vt Tu aliquando conficeres, quod omnes retro Anteceſſores Tui concupiuerunt, & nemo, ſiue per graues negotiorum rationes, ſiue per præmaturam mortem, ſiue per fluxam viribus valetudinem, omnino eſt aſſecutus. Sed quid ego hæc apud

 Te

Te Illustrissime Princeps? quasiverò vel meæ partes sint Tui adhortandi, ac non potiùs venerandi & celebrandi, vel Tu stimulis indigeas vllis, qui Tua sponte nihil vnquam nisi arduum, nisi excelsum, nisi Ecclesiæ Dei salutare, cogitas & moliris. Quapropter non hæc amplius ingero, illud tantum addam: arcano quodam Dei arbitrio, & inexplorata fatorum vi, factum esse, vt Te in ea potissimum tempora asseruarent, quibus infernalis coluber vehementius virus suum euomere conatur, quibus pseudopolitica sanies mentibus etiam sanis sensim illabitur, quibus Ecclesiastica libertas per hanc malorum omnium lernam depressa gemit, quibus Sacerdotalis dignitas fædis contumeliis passim sugillata, tyrannicis propè modum rapinis lacerata, sublatis piarum fundationum, à Progenitoribus nostris, ad eluendas animarum suarum maculas, institutarum prouentibus, conculcata, Te vindicem atq; assertorem efflagitat. Propone Tibi ante oculos Eminentissime Primas, communem omnium nostrum Parentem Ecclesiam, ex Tuo nutu pendentem, Tuam operam, Tuum patrocinium summa solicitudine expectantem: propone inquam maternè implorantem, vt inimicis suis zelum religionis, & Primatialem Maiestatem opponas: vt cōtra discolos & contumaces acutiorem pastoralis pedi magnanimiter exeras aculeum. Illa Te CHRISTO genuit, illa

it, illa

it, illa educauit, illa ad tantum dignitatis gradum prouexit. Nulla Tibi maior quàm cum illa cognatio: vna illa omnes omnium charitates complexa est. Illi vni debes, quod nihil amplius domi sperare possis: quod præterea Celsitudini Tuæ debetur, foris pete, vel meritus expecta. Tua enim celebris fama, Tua Illustris virtus, magnorum in Regiam Maiestatem, in Ciues, in Patriam, & in Ecclesiam meritorum, firmiter radices fixit, firmius etiam breui (vti speramus & vouemus) fixura. Quia non ante parare cum illa fortuna desinet, quam Tibi debitam sacratam compareт purpuram. Scilicet hic nouus honor Tuus aperuit Tibi enauigandum altius mare, patefecit ampliorem campum, in quo se Tua præstans animi magnitudo ad publicum Patriæ & Ecclesiæ bonum magis expromere, & vlterius excurrere queat industria, vt tandem talentum à Deo traditum, Euangelica negotiatione multiplicatũ, inter Eminentissimos illos Purpuratos constitutus Patres restituas, atq; in matura gloriæ felicitate, Patriæq; vtilitate longæuus Hierarcha consenescas. Interim Illustrissime Archipræsul, dum superiores Principes, inclytos Prædecessores Tuos, nominis splendore, & rerum gestarum magnitudine superare contendis, absit vt illorum acta, sanctiones, dispositionesq; infringere cogites: quin potius sacrosanctè, iura, prærogatiuas, & Priuilegia, tàm

Metro-

Metropolitanæ huius, quàm aliarũ Collegiatarũ & Conuentualiũ Ecclesiarũ, totiusq; Archiedioecesis, atq; omniũ eorũ, qui siue pro singularibꝰ meritis, siue pro fideliter præstitis obsequiis, cõcessis sibi, & à Capitulo confirmatis, gaudent gratiis & fauoribus, inuiolata & illibata conseruabis; efficiesque, vt neq; Karnkouianam circumspectam prudentiam & magnanimitatem, neq; Tarnouianam magnificentiã, neq; Macieiouianam benignitatem & probitatem, neq; Baranouianam grauitatem, neq; Gembicianam admirabilem bonitatem, liberalitem, & paternum erga nos, & hanc Ecclesiam animum, neq; Firleianam generositatem, neq; Węzykouianam insignem pietatem, & vitæ integritatem, desideremus. Ac quod reliquum est, hunc Tuum Sacrum Senatum, hoc Tuum Princeps Capitulum, hos Tuos religione, Tuos fide, Tuos voluntate, Tuos beneficio, Tuos officio, Tuos obsequio, suscipe Fratres, & câ manu, quâ Te ipsi in Pastorem accipiunt, eo affectu, quo se ipsi Tibi studio deuouent, complectere.